



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1605

Epist. XLVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

A bonum est, vti que necessarium est: quod autem necessarium est, non statim bonum est: quoniam quædam necessaria sunt, eadem vilissima. Nemo vsque eò dignitatem boni ignorat, vt illud ad hæc in diem vtilia demittat. Quid ergo: non eò potius curam transferes, vt ostendas omnibus, magno temporis impendio quæri superuacua: & multos transisse vitam, dum vitæ instrumenta conquirunt? Recognosce singulos, considera vniuersos: nullius non vita spectat in crastinum. Quid in hoc sit mali, quæris: infinitum. non enim viuunt, sed victuri sunt: omnia differunt. Etiam si attenderemus, tamen nos vita præcurreret: nunc verò cunctantes quasi aliena transcurrit, & vltimo die finitur, omni perit. Sed ne epistolæ modum excedam, quæ non debet sinistram manum legentis implere: in alium diem hanc litem cum dialecticis differam, nimium subtilibus, & hoc solum curantibus, ¹³ non & hoc.

EPIST. XLVI.

DE libro Lucilij iudicat, & laudat.

LIBRVM tuum quem mihi promiseras, accepi, & tamquam lecturus ¹ ex com- modo adaperui, ac tantum degustare volui. Deinde blanditus est ipse, vt procederem longius: qui quàm disertus fuerit, ex hoc intelligas licet. breuis mihi visus est, cum esset nec mei, nec ² tui temporis, sed qui primo adpectu ³ aut T. Liuij, ⁴ aut Epicuri posset videri. tantâ autem dulcedine me tenuit & traxit, vt illum sine vllâ dilatione perlegerem. ⁵ Sol me inuitabat, ⁶ fames admonebat, ⁷ nubes minabantur: tamen exhausti totum. Non tantum delectatus, sed gauisus sum. Quid ingenij iste habuit? quid animi? dicerem, quid impetus? si interquieuisset, si interuallo surrexisset. Nunc non fuit impetus, sed tenor, compositio ⁸ virilis & sancta. Nihilominus interueniebat dulce illud, & loco lene. Grandis & rectus es. hoc te volo tenere, sic ire. Fecit aliquid & materia. id eò eligenda est fertilis, quæ capiat ingenium, quæ excitet. De libro tuo plura scribam, cum illum retractauero: nunc verò parum mihi sedet iudicium, tamquam audierim illa, non legerim. Sine me & inquirere. Non est quod verearis, verum audies. O te hominem felicem, quod nihil habes, propter quod quisquam tibi ⁹ tam longè mentia- tur! nisi quod etiam vbi causa sublata est, mentimur & consuetudinis causa.

13. NON ET HOC.] Muretus accipit, Nihil aliud quàm spinosos Syllogismos ex repugnantibus curantes: qui ferè sic conformari solent: Non & hoc, & illud. Hoc autem est: non illud igitur. Ego verò aliter. Damnat, qui solam Dialecticam curant, non grauiora: & hanc vt $\epsilon\pi\sigma\tau\omicron\upsilon\lambda\omicron\upsilon\varsigma$ habent, non $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\lambda\omicron\upsilon\varsigma$. Debebant, inquit, non hanc curare tantum, sed & hanc: id est, in adiumento, non in principali habere.

EPIST. XLVI. I. EX COMMODO.] Vbi commodum esset.

2. TVITEMPORIS.] Scripti ferè, corporis: sed illud teneam: Qui esset grandior, quàm aut iuuum aut meum tempus ferret scribere, siue legere.

3. AVT T. LIVIJ.] Multa enim scripsit abo-

lita, etiam philosophica. Et certè libri Historiarum nec ex quadrante exstant.

4. AVT EPICURI.] Qui omnes philosophos copia librorum vicit, etiam Chryppum: Laetius.

5. SOL ME INVITABAT.] Vt postio libro inambularem, aut me insolare, vngeremque.

6. FAMES ADMONEBAT.] Item ponere, & cibum sumere.

7. NVBES MINABANTVR.] Postea inductæ. & suadebant exercere corpus, ante pluuiam.

8. VIRILIS ET SANCTA.] An etiam, sana.

9. TAM LONGE.] In tuâ prouinciâ aliquid potes, hic Roma nihil.